

dicat Dominus; iterum modicum, & videbitis, me, quia vado ad Patrem. Alleluia, alleluia.

*v.* Mane nobiscum, Domine, alleluia.

*r.* Quoniam advesperascit, alleluia.

*Oratio.*

**D**eus, qui errantibus, ut in viam possint redire justitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis; da cunctis qui christianâ professione censentur, & illa respicere quæ huic inimica sunt nomini, & ea quæ sunt apta sectari: Per Dominum, &c.

**AD COMPLETORIUM.**

*Doxologia.* Gloria tibi, Domine, qui natus es de Virgine, &c.

**AD MATUTINUM.**

*Invitatorium.* Alleluia, Jesum Angelorum Dominum, parentibus subditum. Venite, adoremus. Alleluia.

*HYMNUS.*

**N**atum piando crimini  
Missurus in terras Deus,  
Natoque Matrem Virginem,  
Sponsuque Matri providet.

Hæc illa mortalis Trias,  
Adumbrat æternam, piis  
Et æmulans honoribus,  
Sanctâ refert concordia.

Edicta Regis exeunt:  
Tunc summe rerum Conditor,  
Migras, parentum nomine,  
Censendus instar subditi.

Sub noctis inclementiâ  
Rigente, Natum, frigore,  
Stringit puella fasciis;  
Joseph adorat Principem.

Præsepe quem tu contines!  
Lux fulget: ales gaudia  
Labens Olympo nuntiat;  
Et Pastor, & currit magus.

Illic Parentes excubant:  
Quid non, tacendo, fervidis

Intus sonant affectibus!

Quasi ministrant ordine!

Legate dum cultrum ferens,  
Ultrâ profundis sanguinem,  
Jesum vocant, mox victimam  
In templa rite deferunt.

Ægypte, servas hospites,  
Reddisque, dum Cælum monet:  
Quos, Christe, præsens roboras,  
Non sors acerba concutit.

Sit laus Patri, laus Filio,  
Sit par, tibi, laus Spiritus  
Quem Christus afflabat Puer,  
Simul Deus, parentibus. Amen.

**IN I. NOCTURNO.**

*Antiphona.* Maria peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit in præsepio. Alleluia.

*Ps.* Domine, Dominus noster.

*Ps.* Cœli enarrant gloriam Dei.

*Ps.* Domini est terra & plenitudo ejus.

*Antiphona.* Maria peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit in præsepio. Alleluia.

*v.* Puer natus est nobis, alleluia.

*r.* Et filius datus est nobis, alleluia.

Pater noster, &c.

*Absol.* Exaudi, Domine, &c.

*Lectio 1.*

*De Isaiâ Prophetâ. Cap. 7.*

**E**t adjecit Dominus loqui ad Achaz dicens: pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: non petam & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo, domus David: Numquid parùm vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum; Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Bu-